



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLXX. Differentia 41. Iure Canonico multa per denunciationem
Evangelicam expediuntur quæ secundum leges omni remedio destituta
sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA. 41.

Iure Canonico multa per denunciationem Evangelicam expediuntur quae secundum leges omnino remedio destituta sunt. c. Novit. De iud. c. si peccaverit. 2. 2. 1. Bartol. in Extrav. Ad reprimendum. v. Per denunciationem. Io. Bapt. à S. Blas. 18.

I. Denunciatio triplex est, iudicialis, Canonica & Evangelica. Iudicialis iterum duplex, publica & privata. Canonica à sacris canonibus reportata nomen habet. Evangelica ab Evangelio. Matth. 18. v. 15. si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum &c. Finis est emendatio peccantis, ut vel proximi, vel communis bono provideatur. Ac proinde non ex iustitiae vindictivae, sed charitatis motivo procedere debet. Vt imur enim illa ad quemcunque proximi lapsum, sive errorem corrigendum iuxta ordinem à Christo praescriptum, & non ut Maranta restringit Par. 6. De ord. iudic. 5. De denunciat. quando aliquis contra conscientiam, & cum peccato rem alienam possidet, ut per Praelatum Ecclesiasticum restituere cogatur. Imo ad futura quoque peccata extenditur, impedienda scilicet, quando ex coniecturis probabilibus praevidentur, aut timentur. Ista namque est latitudo charitatis, ut quos gremio suo complectitur ab omni malo praesenti, & futuros liberos esse desideret.

te, & ipsum solum. Si peccaverit, inferendo quamcunque iniuriam, verbalem, aut realem, dicto, facto, vel conatu. Si peccaverit, in patriam, recip. in concives tuos. Nullum malum, quod avertere monendo, aut denunciando, potes, negligendum existimes. Vt malum in te, sic in fratre tuo oderis. Magnum & efficax remedium correctio est. Per illam teste Bartolo in Extrav. Ad reprimendum. Reparantur multa, quae sunt auxilio juris civilis destituta: illa nimirum, quorum accusatio privatis hominibus adempta, quae in lucem, & conspectum hominum proferre illicitum. Charitatis enim potissimum habenda ratio est, ut superiori non tam ut iudici, quam ut patri manifestentur, quae emendatione indigent: nec prius iudicii monstretur acerbitas, quam charitatis sprete fuerit benignitas, v. Panorin in c. Novit. De iud. Silu. & al. Summ. in v. Denunciatio. Laym. 1. 3. tr. 3. cap. 4.

* *
*
—

II. Et generalia sunt ista, Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter

DIF

